

Bibliothèque numérique

medic@

**Garre, Claude François - candidat /
Sabatier, Raphael Bienvenu -
président. - De uterinis praegnantium
haemorrhagiis**

1758.

***Paris : Typis Viduae Delaguette,
Regii Chirurgorum Collegii
Typographi.***

Cote : ms 2342, n°64



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0064](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02342_ms02346x01x0064)



D. O. M.
DE
UTERINIS PRÆGNANTIUM
HÆMORRHAGIIS.

THESES
ANATOMICÆ ET CHIRURGICÆ.



UTERINA Prægnantium Hæmorrhagia, morbus est quo nec frequentior alter, nec periculosior. Mulieres quolibet gestationis tempore invadit, sæpius tamen primis à conceptione, vel duobus postremis mensibus, eventu diverso, illas adoritur. Quandoque enim blandâ corporis quiete, diætâ tenui, venæ sectione plus minus repetitâ, medicamentis adstringentibus, &c. bonis fœtûs prægnantisque rebus sanatur; aliàs verò utrumque in præsens vitæ discrimen adducit, ulla vix arte compe-

A



cenda. Variam illius pro re natâ curationem quantum in nos erit profecturi, compendiosam uteri partiumque foetum involventium historiam, præmittere necessarium esse arbitramur.

UTERUS viscus est ad piri compressi & inversi figuram quodam modo accedens, concavum, in mediâ pelvis hypogastricæ parte, vesicam inter & intestinum rectum positum, necnon generationi dicatum. Tres in partes dividitur, quarum superior & latior fundus, inferior cervix, mediâ corpus uteri nuncupatur. Duas quoque facies, anteriorem nempe & posteriorem, nec non partes duas laterales exhibet. Propria illius substantia, firma, duriuscula, & compacta multiplici vasorum genere, fibris carneis reticulariter implicitis, nervisque copiosis prædita est. Relinquit in medio cavitatem quæ licet unica, in duas tamen dividi potest, aded ut una colli, altera ipsius uteri dicenda sit. Prior oblonga, in extremitatibus magis quàm in medio coarctatur. Posterior triangulum refert, quod uteri fundo superius, lateralibusque illius partibus, hinc & illinc terminatur. Tota uteri cavitas investitur membranâ propriâ illius substantiæ continuâ, villosâ, flocculentâ, plurimisque porulis perviâ, quæ in utero rubella & levigata, in illius vero cervice pallidior & rugosa semper occurrit. Cervicis uteri rugarum dispositio in diversis diversa est. Modò enim bini secundum illius longitudinem producti lacertuli sunt, quos inter, transversæ conspiciuntur rugæ; modò plures sunt & inordinatè positi, ut quem occupent locum, certè indicari non possit: hos quinque aliquando reperit illustrissimus Santorini; non semel autem eos sic compositos deprehendit, ut quamdam arborem eleganter dispositam representarent. His rugis numerosæ interferuntur vesiculæ globosæ, mucosum humorem continentes, in prægnantibus & puerperis præsertim conspicuæ, necnon ostiola ductuum, è quibus materia seroso-pituitosa, pressâ colli substantiâ erumpit.

PERITONÆUM exteriorem uteri partem involvit, tunicamque levem & positam illi subministrat. Cùm enim posteriori vesicæ parti incubuit ad ima uteri migrat, reflectitsemet ad anteriorem illius faciem, consensu vertice descendit profundius quam ascenderat, superioraque rursus petit ad intestinum rectum. Dùm autem uterum sic obvolvitur, plicaturam quamdam juxtâ tractum cujuslibet partis lateralis efformat, quæ pelvis hypogastricæ parietibus affixa, membraneum septum inter anteriorem & posteriorem illius medietatem constituit. Laterales illæ plicaturæ Vesertilionum Alæ, necnon Lata uteri Ligamenta dicuntur. Superior illarum limbus dividitur in duas alas minores, quarum posterior ovarium, anterior verò tubam fallopiam includit. Textum præterea cellularem, plurimas vasorum diraditiones, rotunda uteri ligamenta, nervorumque plexum continent.

cujus fibræ numquam vario atque inordinato implexu sese habent, verum juxta latus exterius ovarii disjectæ, versus tubarum lacinias perpetuo constantique producuntur ordine.

PARS vaginæ superior uteri cervicem, in modum oris tincæ prominulam, medio que foramine perviam amplectitur & excipit. Foramen illud, quod propriè orificium uteri nuncupatur, angustum est in statu naturali, transversamque rimam exhibet, cujus labrum posterius, ob peculiarem uteri situm, anteriore brevior apparet. Alia quoque duo foraminula, in illius visceris cavitate conspiciuntur. Hæc enim cavitas binos è suis lateribus emittit canales conicos, vermiformes & variè incurvos qui usque ad ovaria transversè producti, continuè latefcunt eundo, fimbriisque muscularibus & variè laciniatis, terminantur. Canales isti sunt Tubæ Fallopiæ dictæ, à suo inventore. Interius illorum extremum setam plus minus crassam vix transmittit, exterius verò majori patet osculo, minus tamen lato, quam pars tubæ proxima. Structura eadem est cum utero: duplici namque constant membranâ quarum exterior tenuis & polita peritonæo continua est, interior è contrâ, rugis quam plurimis instructa, & humore mucoso semper illita, cum illâ quæ triangularem uteri cavitatem obvelat communis esse videtur. Spongiosa quædam substantia, fibris muscularibus, vasisque plurimis intertexta, inter utramque occurrit.

OVARIA tubis fallopiæ, fimbriarum longiorum ope cohærent. Corpora sunt albicantia, semi ovalia, levia & compressa, retro tubas utrinque posita. Textum fibrosum, reticulatum & laxum, vasis quam plurimis atque vesiculis duplici membranâ cinctis, humoreque limbo, ad ignem faciliè concrefcente plenis instructum continent. Vesiculæ illæ majores aut minores pro ætatis aut temperamenti diversitate, substantiâ lutei coloris, tenuissimorum intestinulorum modo contortâ, cum in virginibus, tum in prægnantibus & puerperis præfertim conspicuâ, undique connexæ reperiuntur. Ovaria communem à peritonæo mutuuntur membranam, quæ propriæ illorum tunicæ ita firmiter annectitur, ut scalpello vix separari valeant, validoque ligamento laterali necnon superiori uteri parti alligantur.

Ligamenta uteri rotunda ex illius visceris fundi lateribus, sub tubarum origine prodeunt. Mox inter peritonæi plicaturam descendunt, fursùm incurvantur, extrorsùm vergunt, oblique descendendum musculorum annulos pervadunt, atque solvuntur in fimbrias quæ in pinguedine juxta inguina terminantur ac evanescunt. Tæniis modicè convexis similia, anteriorem utriusque ligamenti lati superficiem attollunt. Sanguiferis præcipuè vasis, fibris lacertosis illorum longitudinem excurrentibus, textuque celluloso & laxo compinguntur. In prægnantibus & puerperis crassiora fiunt, & sanguine ita distendun-

A ij

tur, ut illorum latitudo, medii manûs digiti latitudini quandoque comparari valeat. Fibras quoque carneas exhibent, quas in virginibus aut in utero non gerentibus exquirere inutile foret. Illorum vasa ex ipsiusmet uteri vasis, seu quod idem est ex hypogastricis & spermaticis arteriis ac venis oriuntur, atque cum exterioribus pudendi vasis communicant.

PERACTA conceptione, una vel plures è vesiculis seu ovulis in ovario contentis intumescunt, crassescunt in suis membranis, ovariorumque parietes elewant, distendunt atque perrumpunt. Dùm autem propria ovarii substantia, ovulo intus crescente premitur, illius irritantur vasa, vicinaque in consensum trahitur tuba fallopiana. Major ergo fit spirituum & sanguinis ad illam appulsus, turgere incipit, ovarium fimbriis suis muscularibus amplectitur, ovulum ab omni nexu liberum in cavitatem suam urget, motuque peristaltico in sinum uteri promovet. Interea ovulum sensim augefcit, suâ jam mole triangularem uteri cavitatem adimplet, illique tenerrimis emissis & receptis vasculis adnectitur. Crescit & ipse uterus, propriisque turgentibus vasis quaquâversum extenditur.

FŒCUNDATUM ovum duabus constat membranis concentricis, embrionem seu fœtum liquoremque pellucidum & glutinosum continentibus. Exterior, Chorion dicta, crassa est, pulposa, mollis & vasculosa. Convexa illius superficies è pluribus compingi videtur lamellis latis osculis pertusis, sibi que mutuo impositis, adeò ut exquâdam specie lacertorum, in modum membranæ dispositorum, quos inter creberrimæ interjectæ sint areæ, constitui appareat. Membrana illa in inferiore ovi parte tenuis & simplex deprehenditur, in superiore verò crassior est, & in duas lamellas dividua, quarum una faciem placenta concavam induit, altera convexæ illius faciei applicatur. Interior ovi membrana amnios nuncupatur. Ubique tenuis & pellucida occurrit, nullisque vel saltem paucissimis sanguiferis vasis locupletatur.

PLACENTA spongiosum quasi viscus est, orbiculatum, octo vel novem pollices latum, unumque crassum, in superiore ovi parte, inter duas chorii lamellas positum. Concava illius facies fœtum respicit, vasisque sanguiferis copiosissimis obsita est. convexa utero respondet, fulcisque profundioribus in plures lobos distincta videtur. Placentæ substantia mollis est, fibrosa & vasculosa. Binas excipit arterias, à fine aortæ descendentes fœtus retrogadas, venamque vicissim emittit, quæ juxtâ arterias, per funiculum quemdam è tribus illis vasis præcipuè contextum, ad fœtus umbilicum, illiusque venam portarum usque producit. Vasa illa umbilicalia dicta, per totam placenta molem disseminantur, ibique in ramulos infinitos divisa, sanguinem à

foetu ad placentam, & à placentâ ad foetum, alterno jugique motu transferunt.

PLACENTÆ situs in utero diversus est, atque modo huic, modo illi parti respondet. Illius quoque moles pro embrionis ætate multum variat; nam quandiu ovum fluido in uteri cavum collecto innatat, nulla illius apparent vestigia, vix que formari incipit, donec ovum utero connascatur. Integram ovi superficiem tunc occupat; deinde verò sensim retrahitur, atque ita crescendo decrescit, ut in foetu adulto, tertiam ovi partem complecti videatur. Illius vasa cum sanguiferis uteri vasis communicare, mutuum que dari sanguinis circum inter foetum & matrem varia comprobant. Præterquàm quod enim Cowperus mercurium in arterias umbilicales foetus injectum vidit intrare in venas uteri matris, Vieussenius idem fluidum carotidi gravidæ canis propulsum, in illius catellos pervenisse affirmat, celeberrimusque Hallerus ceram injectam arteriis matris in sinum uteri & per eorum aperta ostia, in insertas chorii productiones, atque placentam subisse asserit, foetus exangues, in puerperis ex lapsu & infelici partu pariter exanguibus, à Merio & Heistero repertos fuisse certum est.

SANGUINIS profluvii causæ in gravidis remotæ sunt, vel proximæ. Remotæ ea sunt omnia quæ placentam ab uteri parietibus disjungere valent, qualia sunt vomitus, sternutatio, tussis, cantus, clamores, ictus, lapsus, nimix abdominis compressiones, animi parhemata, inconsideratus medicamentorum calefacientium usus, vini generosi potus, prava uteri dispositio, placentæ in ipsamet uteri cervicem insertio, &c. quibus falsi conceptûs causæ, quæcumque fuerint, addi merentur. Proximæ vero sunt perfecta vel imperfecta falsi conceptûs aut placentæ solutio. Facilis est illius morbi diagnosi; copiosus enim erumpit sanguis modo fluidus, modo in grumos concretus, lumbi dolent, uteri cervix dilatatur, pallor insolitus faciem occupat, pulsus parvus fit & inæqualis, corpus sudore perfunditur, extrema frigent, mulierque demum in frequentem lipothimiam incidit.

Hæmorrhagiæ quæ primis graviditatis mensibus eveniunt, assiduo decubitu, summâ corporis & animi quiete, diætâ tenui, venæ sectione plûsminùs repetitâ, medicamentisque refrigerantibus, hypnoticis & adstringentibus quandoque compescuntur. Prædictorum vero mediorum efficaciam sæpiùs eludunt; cum enim falso conceptu vel abortivi foetus placentulâ ut plurimum producantur, sanguis effluere non desinit, quin corpus extraneum ex uteri fundo in illius cervicem propulsum fuerit. Falsum ergo conceptum vel placentulam dimovere unica est indicatio. Hæc autem naturæ committi non debet. Quamvis enim pluries observatum fuerit, solam uteri contractionem, cor-

porum in illius cavitate contentorum expulsionem suffecisse . timendum foret . ne diuturno sanguinis profluvio vires ægræ frangerentur . Itaque cum sanguis maximâ quantitate prorumpit , uterique cervix summè dilatata deprehenditur , digitus unus aut alter in uterum immitti debet , placentaque vel falsus conceptus extrahi , aut saltem in uteri cervicem propelli . Si vero nimia foret cervicis uteri constrictio , instrumentum à D. Levret excogitatum , & in Diarrio Gallico mensis Februarii 1750 , descriptum , digitorum vices supplere possit . Volsella enim est oblonga , levigata , necnon paululum incurva , cujus ope corpora extranea edè facilius educuntur , quod illius maxillis extremâ suâ parte excavatis , pertusis & asperis , certius apprehendantur . Injectionibus quoque ex aquâ repidâ in ipsammet uteri cavitatem , idonei syphonis ope propullis , foetus abortivi placentam deturbari posse comprobant observationes D. Recolin , in Tomo 3°. Commentar. Acad. Reg. Chirurg. promulgatæ .

SANGUINIS profluvia quæ postremis sunt gestationis mensibus , ab ipsiusmet placentæ solutione repetenda esse neminem latet . Illorum curatio , mediis suprâ recensitis tentanda est . Verum sanguine copiosius irruente , inutilia prorsus evadunt , præsertim si dolores remittere incipiant , visus obscuretur , tinniant aures , mulierque convulsionibus & syncope corripiatur . Vel enim partum confestim promoveri vel sanguinem ex uteri vasis maximè dilatatis & hyulcis indefinente motu scaturire , mulieremque cum foetu perire necesse est . Igitur digitis in vaginam immissis uteri cervix laescenda sensimque sine sensu , juxta methodum à D. Puzos , in actis Reg. Chirurg. Academ. T. I. propositam dilatanda . Namque doloribus abortis , uterus in contractionem agitur , illiusque parietes foetus membranis ita applicantur , ut vasorum sanguineorum claudantur oscula , sicque sanguis minori copiâ prorumpat . Uteri deinde cervice quantum par est dilatata , velamenta citius dirumpi debent , partusque demum sibi met ipsi committi .

VERUM cum jam nimis exhaustæ videntur prægnantis vires , doloresque cervicis uteri titillatione suscitari nequeunt , alteri viæ insistendum , scilicet , infantulus pedibus apprehendendus est atque educendus , illiusque deinde secundinæ cum grumis sanguineis extrahendæ . Hæc tamen methodus non semper ex sententiâ succedit ; sive enim nimis procrastinata fuerit operatio , sive , quod frequentius est , uterus atonus remanserit , sanguinemque per patientiæ vasorum suorum oscula continuè effluere permittat , infelici puerperæ sæpius pereundum est . Subsequentis illius hæmorrhagiæ curatio , repetitâ ventris infimi contrectatione , medicamentis adstringentibus , spleniis aceto imbutis , lumbisque nec - non hypogastrio admotis , decubitu

super culcitâ stramineâ, laqueis ad superiores cubitorum & poplitum partes suprâ genua injectis, denique manuum vel etiam totius corporis in aquam frigidam immersione tentanda est. His verò incassum adhibitis, celebrari possunt injectiones adstringentes Galeno, (lib. 5°. Method. cap. 5°.) jam notæ, à D. Prioux Zodiac. Medic. Gallic. ann. 1681. maximo cum successu usurpatæ, necnon ab Andrea Pasta *Discorso Medico-Chirurgico, intorno al flusso di sangue d'all'utero nelle donne gravide*, non ita pridem rursus propositæ.

ALIUS datur casus, in quo partum cervicis uteri titillatione promovere periculosissimum foret, quando scilicet morbus à placentæ in uteri cervicem insertionem, tanquam à causâ remotâ producitur. Etenim uteri cervix dilatari non valet quin placentæ vasa cum suis communicantia dirumpantur, liberumque sanguini concedant exitum. Casus ille cognoscitur ex eo quod os uteri licet inferiùs positum vix discerni valeat ob maximam concreti sanguinis in vaginâ contenti copiam, molle quoddam anfractuosumque corpus uteri cervicem occludat, sanguinisque profluvium instantibus etiam partûs doloribus increseat. Ultimum illud signum pathognomicum esse rectè nos edocet D. Levret, *Observationum suarum super partûs difficilis causis & accidentibus*, Tomo 2°. nec - non in egregiâ Dissertatione de minùs cognitâ uterinæ prægnantium hæmorrhagiæ causâ quæ in fine Tractatûs sui de Arte Obstetriciâ, anno 1751, typis Mandati, nondum tamen publici juris facti occurrit. Sanguinem enim in aliis profluviiis non nisi remittente dolore prorumpere certum est. Cum autem tandiù pateat sanguini exitus quandiu durat uteri extensio, illaque tolli nequeat nisi fœtus educatur, ad illius extractionem, veluti ad sacram anchoram, prorinùs confugiendum esse nullus non videt. Sanguis ergo concretus digitis in vaginam immissis extrahendus est, placentaque deinde ab uteri cervice, quâ parte jam soluta est, separanda, ut nempe velamenta digitorum apicibus attingi valeant, atque discerpi. Tum manus ipsa per foramen inflictum in uteri cavum immitti debet, fœtus pedibus apprehendi & extrahi. placentaque demum ab omnibus uteri partibus, veluti deglubendo decorticari.

METHODUM ab illâ quam maximè diversam proponunt, viri in Arte Obstetriciâ per celebres. Volunt nempe ut digitis in mollem illius carnem intrusis, mediâ dilaceretur placenta, partusque, fœtus pedibus apprehensis, ut suprâ dictum est, perficiatur. Hæc verò encheiresis licet faciliior & expeditior, periculi plena nobis videtur. Namque disruptis ut sit necessariò majoribus placentæ vasis sanguis ex infanti corpusculo per arterias umbilicales confestim prorumpere debet. Si tamen prægnans, viribus omninò exhaustis mox pereunda videretur, nullâ aliâ ratione procedendum esse censemus, Methodum

illam, in hocce casu prosperè celebrasse refert D. Levret, in Diatribè modò laudatà, nullibi verò suadet ut in omnibus circumstantiis adhibeatur. Alteram è contra non modò celebrandam esse pluribus in locis asserit, verùm etiam in privatis prælectionibus, multis quoque ab hinc annis auditoribus suis commendat. Itaque non videmus cur doctissimus Auctor Theseos in Scholis Medicorum Parisiensium, mense Februarii proxime elapso propugnatae, hunc errorem illi tribuat & vitio vertat.

PRÆTER enumeratas hæmorrhagiarum species, aliæ sunt interiores merito dicendæ, in quibus sanguis in ipsammet abdominis cavitatem, rupto priùs utero diffunditur. Quemadmodum autem à causâ quæbet externâ produci possunt, sic quoque sæpiùs pendent ex eo quod infans mox in lucem editurus, atque inter angustiores pelvis hypogastricæ parietes compressus, convulsionibus corripiatur, superioremque uteri partem pedibus conculcet, atque dilaceret. Vehementes & iterati regionis epigastricæ dolores, sanguinis profluvium hoc in casu præcedunt; deinde prægnantis abdomen non sine caloris insoliti sensu intumescit, frequentesque hypothimix, necnon convulsivi motus, certa mortis instantis prænuntia, tragædiæ finem imponunt. A solâ sectione coesare protinus celebratâ tunc speranda salus. Interiores adhuc hæmorrhagiæ fiunt in gravidis quotiescumque funiculus umbilicalis infantis collo nimium intortus, imminente partu disumpitur. Cùm autem sanguis in uteri cavum colligatur, atque ex infantis arteriis præsertim effluat, nihil ferè matri pertimescendum est, modò partus idoneo forcipe vel fuscitatis doloribus promoveatur.

de Melun Has Theses, DEO JUVANTE, & Præside M. RAPHAËLE BENEVENTO SABATIER, Liberalium Artium & Chirurgiæ Magistro, Scholarum Professore Regio, nec-non Academiæ Regiæ Chirurgiæ socio, tueri conabitur CLAUDIUS FRANCISCU S GARRE, Melodunensis, in almâ Universitate Parisensi Liberalium Artium Magister, nec-non Chirurgus Regis ordinarius.

P A R I S I I S,

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

Die Sabbati decimâ quartâ Octobris, anno salutis 1758, à sesquisecondâ post meridiem ad septimam.

PRO ACTU PUBLICO.
ET SOLEMNI COOPTATIONE.

Typis Viduæ DELAGUETTE, Regii Chirurg. Collegii Typographi. 1758.